



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Decimum Nonum. Encomium Marianum Vigessimum Secundum.  
Causa Nostræ Lætitiaë.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

verbis sapientis Sap. 7. proloquatur: *Invoca-  
vi & venit in me spiritus sapientie, sceptris ac  
solij illam anteposui, prae eaq; divitias pro nihi-  
lo aestimavi. Nec verò ei lapidē pretiosum com-  
paravi, quoniam aurum cum ea comparatum  
arena est exigua, & lutum existimabitur argen-  
tum cum illa comparatum. Supra sanitatem ac  
formae pulchritudinem dilexi illam, atq; ea ma-  
lui quam luce frui, ut cujus splendor non potest  
supprimi. Accesserunt autem mihi omnia bona  
pariter cum illa: divitiarq; innumerabiles per  
manus illius. Et paulò post Eam sine fraude  
percepi sine invidia communico, divitiasq; e-  
jus non abscondo, inexhaustus enim thesaurus  
est hominibus &c.*

## CAPUT DECIMUM NONUM.

*Encomium Marianum Vigessimum  
Secundum.*

CAUSA NOSTRÆ  
LÆTITIÆ.

**I**Nter præclarissima laudum præconia  
quæ Iraëliticus populus triumphanti  
*Judith* obvians concinuit, fuere: *In gloria Ie-  
rusa-*

*rusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Magna præconia, sed tam gloriosa victrici & victoriæ non indigna. *Lætitia Israël*, inquit causaliter loquendo eo quod fuerit maxima lætitię causa, cum populum suum à tanto castrorum Assyriorum timore liberarit, ac ita maximam lætitiæ causam ministrarit. Vnde uti Judæis per intercessionem Reginæ *Hester* à mortis sententia & jugo ereptis, ac inimico eorum *Aman* è ligno suspenso *novum gaudium & nova lux oriri visa est: Esth. 8.* ita quoq; post devictum Assyriorum principem novum gaudium & tripudium exortum est, cujus cum *Judith* ipsa causa fuerit, non immerito *Lætitia Israël* ab eis fuit nuncupata. Quemadmodum Bmæ Virginis in omnibus ac præcipuis actibus suis typum gesserit castissima *Judith* unanimi fatentur consensu SS. Patres, hinc etiam in Officio immaculatæ Conceptionis: à clientibus & amatoribus suis salutatur: *O mulier fortis & invicta Judith:* ita quoque de ipsa longe convenientius encomium *Judithæ* decantatum verificari extra dubitationem est: Illa siquidem soli Judæorum populo, hæc universo generi hu-

ri humano, imo & omnibus cœli civibus causam lætitiæ ministravit: humano generi quidem ipsum ab imperio & jugo dæmonum & infernalis sempiternæque mortis eripiendo: Angelis verò cœli civibus ruinas illorum per *Luciferum* aliosq; rebelles Angelos factas restaurando, ut convenientissime ab Ecclesia *Causa nostra lætitiæ* appellata sit.

## §. I.

**O**lim quidem *DEVS* eos (ut verbis utar singularis *Deiparæ* clientis *B. Ioannis Damasceni*) qui fuerunt *Principes humani generis*, & se impleverunt *mero inobedientia*, magnitudine *transgressionis cordis clauserunt oculos*, ac peccati *crapula gravatos habuerunt mentis oculos, somnoque in mortem, fuere sopiti Adamum videlicet & Evam omnemq; cum eis posteritatem exterminavit ex paradisi amœnissimis locis, ac maledictis gravatos in hanc miseriæ vallem exturbavit, omnem eis exultationis jubilationis & lætitiæ occasionem tollens.* Terram enim in operibus *Protoparentis Adami* maledixit: *spinas inquit & tribulos germinabit tibi, & cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, Gen. 3.* Imo eo

Y

quod

quod audiisset & obtēperasset voci uxoris suæ, comedissetq; de ligno de quo praeceperat ei ne comederet, non solum à paradisi jucundissima quiete ejecit, sed & ad perpetuos labores damnavit ac mortis imperio subjugavit, *In sudore inquit vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Nec minoris constitit Eve sua inobedientia & transgressio, eam siquidem Deus non solum viri mancipavit obsequio sed & partus doloribus (è quibus alias aliquid solatij sperare poterat) doloribus inquam quo majores in hac mortali vita non inveniuntur subjecit. *In dolore accipies filios tuos, & sub viri potestate eris, &c.* His ergo tot tam gravibusque malis ut occurreret benignissimus Deus, omnis lætitiæ fontem creavit virginem benedictam, per quam omnis execratio maledicta sublata est, ita attestante *Andrea Cretense* qui eam *serm. 2. in Assumpt. cap. 8.* His affatur verbis: *Per te dilecta est peccati occasio, & transmutata est in lætitiæ primi parentis execratio.* Confirmat & hanc opinionem citat. *Ioann. Damasc.* qui eam idcirco merito lætitiæ

tiæ fontem appellare non dubitavit. *Serm. in Assumpt.* ubi sepulchrum ejus quasi vivens & loquens introducit. *Letitia fontem excepi hospitio, & dives remansi perenni ejus scaturigine, &c.* Nec absimili eam præconio celebrat *Ludovicus Blosius* eam lætitiæ summæ parentem appellans *Ave ait summa letitia, summaque clementia beatissima parens MARIA, per quam cœlestis benedictio, & felicitas æterna ad nos dimanavit, cujus memoria exhilarat mœstos, cujus contemplatio sanctos demulcet &c.*

Quam verè autem eam lætitiæ fontem nominarint SS. PP. hinc satis liquet, quod ipsa omnibus non solum in hac terra viventibus sed & Angelis, omnibusque cœli civibus causam gaudij & exultationis subministravit: Quod ut clarum ac manifestum fiat à mundi primordijs primisque parentibus exordiamur: Ipsa equidem primorum parentum lætitiæ fuit causa utpote delens & tollens maledicta in eos congesta. Hæc enim teste Doctore mellifluo *serm. 4. in Assumpt. pariendo vitam mundi, maledictum illud (morte morieris) abstulit: Hec est enim qua totius mundi reparationem*

*obtinuit, salutem omnium impetravit: sustulit  
 item maledictionem Eva qua dixerat ei:  
 In dolore paries filios tuos, cum sola inter mu-  
 lieres à communi maledicto & dolore par-  
 turientium invenitur aliena. Ambo igitur  
 protoparentes Adam & Eva consolamini  
 super filia & tali filia. Instat namque tempus  
 quo jam tollatur opprobrium. Propterea curre  
 Eva ad MARIAM, curre Mater ad filiam: fi-  
 lia pro matre respondeat ista matris oppro-  
 brium auferat ipsa patri pro matre satisfaciat,  
 quia ecce si vir cecidit per foeminam, jam non  
 erigitur nisi per foeminam. Lætamini in-  
 quam & gaudete quia filiam adepti estis  
 cujus adjutrice manu diabolum & inimi-  
 cum serpentem, à quo olim supplantati  
 estis reciproca victoria supplantaturi estis:  
 salvatricem habetis per quam inferni pœ-  
 nas evadatis, ac de hujus lachrymarum  
 vallis angustijs ad cœlestis patriæ gaudia  
 paradisiq; amœnissima loca revertamini.*

## §. 2.

**N**Ec solum protoparentum, sed & Pa-  
 triarcharum gaudium & lætitia fuit  
 MARIA, ad quam tanquam unicum dolo-  
 rum & afflictionum levamen suspirabant,  
 & aspirabant continuo. *Abraham exulta-*

*vit ut videret diem ejus, vidit (in spiritu nimirum) & gavisus est. Et quidni gauderet? si enim gloria & letitia patris est filius sapiens, quanto magis gaudeat ac lætetur de tali tantaque filia hac Virgine B̄na Abraham, unaque cum eo alij ejusdem Progenitores Isaac, Iacob, David, &c. cum ejus se cognoscant sapientiã, ab exilio in patriam cœlestem reducendos? Beata verè filia quæ parentis Evæ stultitiam ac fatuitatem sua sapientia restaurat, tristitiam in gaudium & exultationem convertit, matrisque maledictiones in benedictiones commutat. Eva enim teste S. August. serm. 18. de Sanctis, de Annunt. Dominica. Luxit, ista exultavit: Eva lachrymas, MARIA gaudium in ventre portavit. Et causa in promptu est, quia ista peccatorem, hæc edidit innocentem, Mater generis nostri pœnam attulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Hocq; est quod incessabilem illorum S. Patrum lenibat dolorem, qui ob cœli fores reclusas obtinebat universos Adæ filios usque ad hujus Deificatissimæ virginis adventum: sedentes namque in tenebris & umbra mortis in lyngo nulla eis erat consolatio nisi in hoc,*



quod recordarentur adventum hujus B.  
 Virginis, quâ mediatrice cœli fores rele-  
 randas, seq; è tenebroso in quo detineban-  
 tur ergastulo educendos norant: atque ad  
 hoc alluisse videtur *Seraph. Bonav. in Psalt.*  
*Psalm. 59. Tu inquiens mœstis consolationem*  
*infundis, & mœrentibus letitiam, & dulcorem,*  
 & S. Rex Poloniæ *Casimirus.*

*O Beata per quam data,*  
*Nova mundo gaudia;*  
*Et aperta vide certa,*  
*Regina sunt cœlestia.*  
*Per te mundus latibundus,*  
*Novo fulget lumine:*  
*Antiquarum tenebrarum,*  
*Exiit us caligine.*

Et alio item loco:  
*Virgo gaude, omni laude*  
*Digna, & præconio:*  
*Quæ damnatis, libertatis*  
*Facta est occasio.*

Præ cæteris tamen evidentius exper-  
 ta est S. *Elisabeth* quam vere parens & laci-  
 tiæ fons dicta sit Bm̃a hæc Virgo, cum salu-  
 tationem ejus aure corporis percipiens,  
 summo interius repleta est gaudio, propter  
 quod

quod de ea explicat hæc Cant. verba, exultabimus & letabimur in te Tuitiensis Antistes Rupertus lib. 1. in Cant. Vere inquit hoc dixit Elisabeth : ait enim voce magna benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c. Et ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit infans in utero meo. Nonne hoc erat dicere, exultabimus & letabimur in te? jam enim incipimus, ego & infans in utero meo exultare in gaudio, à voce exultationis tuæ. Ex hoc & nos & qui venturi sunt post nos exultabimus & letabimur in te, & cantabimus dicentes: quia Eva fecit nos plorare, MARIA fecit nos exultare : nam

Quod Eva tristis abstulit,  
Tu reddis almo germine :  
Intrent ut astra flebiles,  
Cæli fenestra facta es.

Nec tamen sine causa letabimur, sufficiens nobis hujus letitiæ materia: letabimur inquam memores uberum tuorum super virum : uberum virgineorum quibus illum lactasse predicaris, qui creavit te: Dicimus enim beatus venter qui te portavit Christi, & beata ubera quæ suxisti : quare beata? quia tu qui Angelos tuæ visionis dulcedine pascis, ea suxisti.

§. 3.

**E**Xperientia docente nihil est quod homini qui coram iudice severissimo adversarijsque potentibus causam habet, ita potest exhilarare & lætificare, quam quod cognoscat se invictissimum habere advocatum, & protectorem, cujus eloquentia & scientia, se certo sciat damnationis sententiam evasurum. Et sicuti nihil magis lætificat hominem debilem, ægrotum, vulneribusque faucium, quam peritia & sollicitudo medici, cujus industria se curandum novit: ita & universos *Adæ* filios innumeris peccatorum vulneribus faucios, quique fortissimum, astutissimumque habent inimicum Principem & Rectorem mundi tenebrarum harum, nil magis potest ac debet exhilarare, quam quod sciant se invictissimam, prudentissimam, eloquentissimam ac potentissimam habere Dominam & Advocatam cujus ope & assistentia (modo eam omni conatu implorent) severissimam divini rigoris damnationisq; sententiam evadant, invisibilesq; & innumeros adversariorum cuneos levi negotio devincant: cujus peritia à peccatorum

torum vulneribus curentur ac pristinae sospitati ac sanitati restituantur. *Ipsa siquidē teste Bernard. serm. panegyri. peccatorem quantumlibet foetidum non horret, nec despicit, si ad eam suspiraverit, ejus interventum pœnitenti corde efflagitaverit: ipsa illum à desperationis barathropia manu retrahit, vulneribus medicamen aspirat: fovet nec despicit, quousq; horrendo judici miserum reconciliet: famosum hujus benignitatis testimonium est per eam restauratus divine gratiæ Theophilus, quem ad ipsas inferni portas quodammodo constitutum reduxit, à peccatorum vulneribus curavit: divineque gratiæ sua intercessione reconciliavit.*

## §. 4.

**S**ed & Angelorum quoq; aliorumque cœli civium gaudium est MARIA, quia teste *Biosio: Gaudium hominum pariter & Angelorum peperit IESVM Christum* Et ratio id convincit: sicut enim quilibet letatur de magnatum amicitia & societate, sic & Angeli cæteri que cœli incolæ, de hujus virginis gloriosæ societate, gloria & felicitate ineffabiliter lætantur, cum post Deum gratiosior societas esse non possit quam hujus gloriosissimæ & Bmæ puellæ: & uti Ele-

phantes in cantu & aspectu puellarum delectantur, & ad eas lambendum & osculandum quodam naturali instinctu inclinantur; ita omnes Angeli, sanctique Dei maximopere delectantur, in aspectu, & societate hujus beatissimæ puellæ: primumque illis gaudium est post visionem beatificam hanc incessanter intueri: unde *Dionys. Carthus. serm. 3. in feria 2. paschæ, omnes sancti ait in celo de presentia & aspectu gloriosissimæ virginis Matris filij Dei, mirabiliter ineffabiliterque letantur, & tanto intensius quanto eam amant ferventius. Primo ergo letantur in ejus aspectu, quoniam ipsa præ omni creatura in esse creato subsistente est inenarrabiliter speciosa. Secundo quia per eam consequuti sunt gratiosa dona, & beneficia gloriosa à Domino: ipsa namque genuit mūdo Salvatorē: ipsa est advocata Ecclesie militantis, peccatorū refugiū, Mater & consolatrix miserorū. Ei commissum est regnū misericordiæ & per eam innumerabiles peccatores veniā gratiam & salutem adepti sunt, & quidquid gratiæ est in nobis, per ipsam datum est nobis. Tertio gaudent præsertim in ea de ejus excellentia & honore eo quod ipsa sit Mater veri Dei: Comparentalis Deo Patri, eundem habens*

bens cum illo filium, quod est dignitas infinita. Et paulo infra tantum dicit esse gaudium quod habent sancti ex aspectu gloriosissimæ Virginis, ut etiam si omnia mundi gaudia in unum collata essent, eidem tamen comparari nequirent: verba ejus sunt: *Certe omnia mundi hujus gaudia, simul collecta comparari nequeunt gaudio quod unusquisque Beatorum habet de beatissima Virginis MARIÆ presentia, & conspectu: quod etiam quibusdam electis amatoribus ejusdem Virginis sancta datum est in hac vita experiri: quibus ipsa virgo piissima visibiliter apparere dignata est. Et non multum inde si inquit in regno celorum non esset aliud gaudium aut premium nisi videre speciosissimam, optimam dulcissimamque MARIAM Christiferam, merito totis visceribus, & nisu conaremur illuc pertinere. Cujus utique Doctoris tum ob summam vitæ probitatem & sanctitatem, tum ipsiusmet rei experientiam indubia fides adhibenda est authoritati. De eo siquidem refertur quod non semel meruerit à beatissima Virgine & S. Barbara singulari patrona visitari, earumque colloquio & aspectu exhilarari: ob hanc etiam causam ejus effigies*

gies

gies solet depingi astantibus eidem B̄ma Virgine puerulum ulnis gestante & S. Barbara librum è manibus ejusdem Dionysij acceptum ad dulcissimi pueri manus offerente.

Ex totis ergo præcordijs hujus beatissimæ Virginis pedibus provolvamur, animitus ab ea petentes, ut & nos in hac miseriarum valle constitutos lætificare, & in continuis quibus versamur afflictionibus exhilarare dignetur, eam cum *Bona vent.* inclamantes; *Miserere nostri Domina, & ora pro nobis, in sanctam letitiam converte mæstiam nostram;* sicque fiet ut ejus sanctissimis laudibus intenti, lætificemur hic in via temporaliter, & post modum in patria æterna æternaliter: *Annunciare namque opera, & merita ejus lætificat intellectum, & imitari opera ejus exhilarat Angelos DEI,* ait *Bonav. Psalm. 91. & 59.*

*Titulum sequentem vide titulo mediate sequenti.*

CAPUT